IN FVNERE

SERAPHINÆ A PORTVGALLIA,

IOANNIS BRIGANTIAE DVCIS filiæ & Catherinæ Emanuelis XIV. Lusitaniæ, Algarbiorum, Africæ, & Indiarum Orientalium, &c. Regis ex Eduardo filio neptis:

Quæ vitam cum morte commutauit Romæ die 6. mensis Ianuarij 1604. hora prima noctis in aula Illustriß. Eduardi Card. Farnesij atque eiusdem sororis consobrinæ.

AD ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. PRINCIPEM, ET DOMINVM, ATQVE DOMINVM MEVM.

IOAN. PACIECVM

VILLENÆ MARCHIONEM;

SQVALONAE DVCEM;

SANCTI MARTINI COMITEM.

ET ALVMENVM IN REGNO Murtiæ Dominum, &c. Necnon Philippi Tertij Regis Catholici in alma Vrbe oratorem.

Emanuelis Constantini Lusitani, & sacræ Theologiæ Doctoris olim in alma Vrbis Gymnasio publici professoris, & sacri Collegij Clerici. Lachrimæ.

ROMAE. Ex Typographia Stephani Paulini. 1604.

Cum Superiorum permissu.

AD LECTOREM.

QVIS quis hæc legeris Lachrimas te memento legere, in quibus ordinem, & modum seruare non dolentis potius existimauerim quam suam tristitiam, & mærorem ostendentis, non flerui sed ingenio indulgenti; cui locus vix esse potest, vbi mentem, & dolor & tristitia occupauit. Nec vero sum tã indoctus ignarusque rerum, vt frangerer animo propter vitæ meæ cupiditatem, quæ me manens conficeret omnibus molæstijs, & angoribus dimissa molæstijs omnibus liberasset. Miserum me consumptis enim lachrimis tamen infixus hæret animo dolor. Nec mens tot tantisq. miserijs circumfluens quietem vllam aut solatium aliquod reperire valet in his fluxis & commutabilibus rebus. Quid ergo altum, aut egregium tantis calamitatibus depressa vis animi excogitare moliriue potest? Satisfecisse videri debet is; qui suam tristitiam testari & ostendere quo quo modo potuit Eccellentissimo Principi, & Patrono suo dilectissimo Ioanni Pacieco Philippi Regis Catholici in alma Vrbe oratori viro tot tantisq. tam animi quam corporis dotibus exculto; vt verbis id exprimi non potest. Quæ enim tanta potest esse vbertas ingenij, quæ tanta dicendi copia, quod tam diuinum atque incredibile genus orationis quo quisquam possit totq. tantaq. talis atq. tanti Principis in me promerita non dico oratione complecti sed percesere enumerando? aut assequi cogitando? præsertim cum illam gloriam fuerit consecutus quæ vix cælo capi posse videatur. Cui omnia sua accepta refert, & vniuersa etiam sua studia qualiacunque ea sunt iam diu tali atque tanto Principi toto ex corde addixit.

ILLV-

ILVSTRISS. ET EXCELL.

PRINCIPI IOANNI PACIECO MARCHIONI

Villenæ Duci Squalonæ, &c.

Emanuel Constantinus eius deuotissimus Seruus. S. P. D.

LACHRIMAS meas quas in funere Excellentiss. Seraphinæ vxoris tuæ amantissimæ toto ex corde mæstisisimus profudi, tibi Principi prudentissimo puro, & candido pectore offero veluti pignus, & obses amoris erga te mei. Vere, enim hoc dicam, cum omnes, qui te norunt; ita te ament, vt eorum nemo sit, qui se studio atq. obseruantia tui cedere cuiquam putet. Ego tamen mihi videor diuturna, & accurata obseruatione earum rerum, quæ te omnibus amabilem reddũt singularem quemdam præter cæteros amorem imbibisse. Quid est enim quod ad deuinciendas, & conciliandas hominum voluntates valeat, quin id omni tempore, & omni ex parte in te perfectum non reperiatur? Quid ego hic nunc de tua tuorumq. nobilitate dicam? Quid de toto illo genere honorũ; quod ita tuũ est, vt aliorum etiã sit, cõmemorabo? Quis enim nescit e Pacieca familia veluti ex equo Troiano innumerabiles viros bellisq. prope diuinis confectis clarissimos extitisse? adeo; vt hæc familia ante Christum

natũ ante annos quadringẽtos floruerit, & per mille annos, & vltra Marchiones Duces, & Principes ex ea numerãtur, & maximũ istũ in te dignitatis gradũ per mille & amplius annos ad te hereditario iure, & ordine successiuo peruenisse quis ignorat? Nec commemorabo tuorum facta pro Fide Catholica suscepta non solum in Hispania, & Europa sed in vniuerso orbe. Nec illud fulmen belli quod non solum in Hispania illuxit, sed in vniuerso terrarum orbe commemorabo: vnde hac vna familia nulla vel antiquior vel nobilior reperitur. Quæ ergo tam ingratæ litteræ; quæ tã immemor posteritas inuenietur, quæ tui maiorũq; tuorũ memoriã non immortali nomine prosequatur? Quid de virtute tua dicam? Quid de animi magnitudine, grauitate, constantia, quæ omnia omnes docti atque sapientes summa, quidam etiam sola bona esse dixerunt; his non modo ad bene sed etiam ad beate viuendum contentam virtutem esse. Age dum sunt hæc in campestri quadam luce posita, & alios ista amatores habeant. Ego in te nihil amo nisi te ipsum. & te ipsum cum dico, ne illam quidem dico, & oris, & totius corporis dignitatem, quæ sibi omnium elegantiorum animos primo statim aspectu conciliat constituens, quoad eius fieri potest ante eorum oculos, & ingenium, & mores tuos. Vnde beatum te principem merito appellare possumus, quem ea conditione natum esse videmus, vt omnes vitæ tuæ partes ad Rempublicam iuuandam atq. ad bene de hominibus merendum contulisse videare. Ille enim verus est honos; qui heroicis actionibus tribuitur. Vere ille honoratus est, qui omni opera, consilio, labore, studio, suæ Reipublicæ Regiq. deseruire cupit; laboriosũ vitæ genus; fateor. Sed magnus inest in tali labore fructus maximum præmium; quod per Deum immortalem noli contemnere. Non enim si sat magnam gloriam superioribus tuis actionibus tibi peperisti ea contentus sis; nec ideo velis labori parcere otioq. consulere. Quamquam cui hæc dico? nempe illi Principi prudentissimo qui præclarum sibi ducat de hominum genere bene merendo atque Catholicæ

Reli-

Religionis terminos longe lateq. propagando; non modo grauissimos labores suscipere atque perferre, verum etiam vitam si opus sit profundere. Quamobrem eam tibi gloriam comparat, quam nulla delebit vetustas; nulla inobscurabit obliuio. Si enim quis Princeps domesticis exẽplis ad res preclarissime gerendas abundauit, earum profectò tanta tibi copia suppetit, vt ad quascumque illorum actiones mente, & cogitatione te conuerteris maximi latissimique campi; vt antea dixi; se se tibi aperire atq. explicare videantur. Sed de his nimis multa tibi Principi occupatissimo, & grauissimis de Christiana Republica negotijs,& cogitationibus fatigato. Interea mærore contabescens has lachrimas ad te defero. Mihi enim persuadebam, si in funere talis atq. tantæ Principis; qualis fuit Excellentissima Seraphina à Portugallia tibi Vxor amatissima, aliquid in lucem non ederem, seruituti meæ veræ,& toto tibi ex corda addictæ minime satisfecisse. Talis enim sum,& ita cor meum tibi deuinctum addixi; vt tecum, & in rebus secundis, & aduersis semper adsim; & pro te tuisq. rebus vitam; si opus sit,profundam. Non enim me fugit te tali atq. tanta Principe amissa, cum qua decem & eo amplius annos quam coniunctissime & maxima animi & cordis consensione vixisti; maximo incredibilique dolore excruciari; quem prudentia tibi à natura innata debes temperare; vt omnes tuos seruos, qui tuorum incommodorum, & calalamitatum participes, & consortes fidelissimi sunt; aliquo solatio in hoc tam præcipiti; & repentino casu possis subleuare. Quis enim est qui nesciat omnia humana esse inania; leuia, commutabilia? Vt enim lucem tenebræ consequuntur; vt aduersa tempestas solet nautas, & vectores inopinantes opprimere; sic casus acerbi homines malorum fluctibus obruunt. Ego vero; vt aliquid de me dicam; tali patrona orbatus tanto fui dolore affectus; vt nullum huc vsque solatium possim reperire; adeo; vt amici, qui me mærore videbant contabescere, vt me solarentur; hæc sæpissime repeterent. Quid lamentaris, & in con-

tinuo

tinuo fletu frustra consumeris; nullus mortalium mortem exorare lachrimis potuit; vnum quemq. dies, & ineuitabilis mortis necessitas manet. Hæc tibi charissima ademit, hæc eadem reddet; quo plures; & amantiores animas illic habueris, eo libentius morieris; vnum ora; vnum tantum omnibus votis expete, vt quam cito fieri possit eo peruenias. Hoc autem si impetraueris nihil melius tibi à deo donari posse existima. Sed hæc nimis multa; hæc autem carmina, cum ex animo tibi amantissimo prodeant tibi grata fore censeo, qui non tam muneris oblati dignitatem quã offerentis animum atque fidem soles ponderare. Cum enim maximum Principum ornamentum sit in hominum fidelitate, & beneuolentia constitutum; quomodo potest id illis ingratum, & iniucundum accidere, quod intelligunt esse ex egregia voluntate atque singulari fide profectum? Te precor meorum studiorum Mæcenas, vt hoc munus ita accipias; vt videant omnes quanti tuorum seruorum oblata munera facias; & erga illos quã ardens tuũ studiũ sit, & voluntas. Hac in re quantum operę, & studij breuissimo tempore posuerim; vt vix quindecim dierum spatium non habuerim; mihi ipse sum testis, quantum vero profecerim talis Princeps qualis tu es, & alij iudicabunt vale totius Hispaniæ atque tuæ familiæ decus, & ornamentum. Romæ decimo calendas Februarij. 1604.

AD EVNDEM EXCELLENTISSIMVM PRINCIPEM.

ACcipe Sereno te quæso maxime Princeps
Hæc tibi quæ magno carmina corde damus.
Illi etiam quorum merito celebrantur honores;
Lucida quos constans vexit ad astra fides.
Non indignantur paruo sibi thure litari;
Atque animum magni muneris instar habent.
Forsitam his olim iuuenis meliora dedissem;

Et

Et mulicere, aures dulcius apta tuas.
Cum mihi turgebant meliori sanguine venæ;
Nec curarum animum pondera deprimerent.
Viue diu vtque dati poscit tibi nominis omen;
Tende atauos omni vincere laude tuos.
Ne graue sit dum dona tibi maiora parantur;
O Princeps partem carminis esse mei.

AD EVNDEM EXCELLENTISSIMVM Principem.

QVa prece quo ne tuum venerabor carmine vultum,
Quid ve prius de te posterius ve canam.
Angusto nequeunt tua facta volumine condi;
Quis mare in exiguo claudere fonte potest?
Magnorum monumenta Ducum tua gloria vincit,
Et fortuna dedit iam tibi victa manus.
Lucida solliciti seruent sua sidera nautæ;
Tu nobis Helices tu Cynosura venis.

AD EVNDEM.

PAce regas populos, bello contunde superbos,
Marchio, subiectis parcere ad astra via est.

IN

TVMVLVS IN MORTE ILLVSTRISSIMAE, & Excellentiſſimæ Seraphinæ.

INnocuam ſi iure manent cæleſtia Regna
Vitam; ſi meritis præmia mors geminat.
Regibus orta Vtreis; quæ iam perfecit vtrumque;
Nunc ſuperum felix Regna beata tenet.
O Tage magne tuam ſemper lugebis alumnam;
In mare cæruleas dum cumulabis aquas,

TVMVLVS.

INter & antiquas clades interque recentes
Quas gens Lyſiadum connumerare poteſt.
Jmmatura tui mors eſt Seraphina, doletque;
Te gemit aſſiduè; te petit omne genus.
Tu patriæ decus, & magni ſpes vna mariti;
Heu ſine te nobis vix ſupereſſe poteſt.

TVMVLVS:

SIccine in exigua Seraphina reconderis vrna?
Siccine, me miſerum nunc tumulata iaces?
Quam Mauſolæi decuit fortuna ſepulchri;
Et quæ Niliaca mole locanda fuit.
Sed tecum omne decus, tecum tumulantur honores;
Luſitanorum hic gloria magna iacet.
Te Catherina parens lachrimatur, & inclita proles
Lyſiadum Regum; ac luctus in Vrbe fuit.
Ah queſtus geminat lachrimans tibi tradita tellus
Heſperiæ; & per te ſordida cuncta ſilent.
En pullata dolet paſſim ſtudioſa iuuentus;
Te Seraphina vocans concidis ante diem.
Mors fera quod potuit ſecum abſtulit, at bona mentis
Virtutes tantæ non periere tuæ.

TVMVLVS IN MORTE ILLVSTRISSIMAE, & Excellentissimæ Seraphinæ.

INnocuam si iure manent cælestia Regna
Vitam; si meritis præmia mors geminat.
Regibus orta Vtreis; quæ iam perfecit vtrumque;
Nunc superum felix Regna beata tenet.
O Tage magne tuam semper lugebis alumnam;
In mare cæruleas dum cumulabis aquas.

TVMVLVS.

INter & antiquas clades interque recentes
Quas gens Lysiadum connumerare potest.
Immatura tui mors est Seraphina, doletque;
Te gemit assidue; te petit omne genus.
Tu patriæ decus, & magni spes vna mariti;
Heu sine te nobis vix superesse potest.

TVMVLVS.

SIccine in exigua Seraphina reconderis vrna?
Siccine, me miserum nunc tumulata iaces?
Quam Mausolei decuit fortuna sepulchri;
Et quæ Niliaca mole locanda fuit.
Sed tecum omne decus, tecum tumulantur honores;
Lusitanorum hic gloria magna iacet.
Te Catherina parens lachrimatur, & inclita proles
Lysiadum Regum; ac luctus in Vrbe fuit.
Ah questus geminat lachrimans tibi tradita tellus
Hesperiæ; & per te sordida cuncta silent.
En pullata dolet passim studiosa iuuentus;
Te Seraphina vocans concidis ante diem.
Mors fera quod potuit secum abstulit, at bona mentis
Virtutes tantæ non periere tuæ.